

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Icones sive imagines virorum literis illustrium

Reusner, Nikolaus

Argentorati, 1587

Petrus Apianus

[urn:nbn:de:bsz:31-271751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-271751)

PETRVS APIANVS
Mathematicus.



Gaudeat arifonus Ptolomai nomine Nilus;
Certè Germanis sum Ptolomæus ego.
M. D. LII.

PETRVS APIANVS BENEVICIVS

Leisnicæ natus in Misnia:

Astronomus & Cosmographus sui seculi inter
primos summus:

Mathematicarum disciplinarum in Academia
Ingolstad. professor atque illustrator
maximus:

Carolo V. Cæs. Aug. ob id acceptus ha-
bitus mirificè:

A quo, ob fidem magistrerij præstitam, & Eque-
stris dignitatis ornatus titulo, & hono-
ribus auctus est amplissimis:

Astronomicis instrumentis inueniendis
admodum insignis:

Opere egregio illo Cosmographico, vnà cum
alijs quibusdam eiusdem generis mo-
nimentis, post se relicto:

Pro se etiam filio hærede suæ disciplinæ
Philippo in terris substituto:

Mortalibus solutus exuuijs in cælum redijt,
animo immortalis, Anno M. D. LII,

Aprilis die XXI.

L iiii

IN PETRVM APIANVM MA-
thematicum.

EPIGRAMMATA.

ANONYMI,

*Mellis liquentis sedula
Matres mihi dedere Apes
Cognomen orbi non nouum.
Graphicè ipse terræ pendulum
Suis globum scripsi artibus,
Incognitiq; orbis sinus.*

Astronomia liberalis.

IOAN. LAVTERBA. CHIL.

Cultoribus dant nomen astra sedulis.

*Dulce tibi nomen quod apes, Apiane, dederunt,
Petraq; nec pluuijs, nec superanda Notis.
Non miru, constans postquam scrutatus es astra:
Astra polis motu quæ patuere suo.
A te dum terræ globus est descriptus, & omne
Quod vetus amplexu, quod nouus orbis habet.
Tu merito rarâ mellitus in arte fuisi
Magnis Cesaribus, Principibusq; viris.
Donec erit terræ globus, astraq; cognita motu:
Semper in orbe tuum viuet vbique decus.
De terris meriti benè, de splendentibus astris,
Aeternant partum terraq; & astra decus.*

E I V S D E M.

Hoc Apianus habet, quod erat mortale, sepulcro:
Immortale Deo tempora pacis agit.
Sic capit ante pio qui misit in astra labore:
Sub pedibus felix nunc videt astra suis.
Astra videt felix, quisquis demisit in astra
Et caput, & studuit querere mente Deum.

ADAMI SIBERI.

Hos Apianus habet tumulos: da pingua thura,
Sparge rosas, manes ac venerare pios.
Edidit hunc, nequit quã viuere Misena: semper
Præstantes agitant fata sinistra viros.
Excepit tellus, & fouit Norica: clara
Et fama docto nomina ferre dedit.
Iura poli, cœliq; vias, & sidera nouit:
Trinacrio, celebri non minor arte, sene.
Fata resignauit, clades instare futuras
Pandit, & heu meruit vocis habere fidem.
Nunc cœlo positus, quæ mente solebat adire,
Omnia sub pedibus lucida signa videt.
Tu passus luge Germania mœsta capillis:
Arte tibi hac similem non feret ulla dies.

AEGIDII PERIANDRI.

Quod te fert cœlum, fortis prius ipse tulisti:
Te quoque supposito sidera fulsit Atlas.
Quæ tulit ingenio forti, mens astra tenetur
Sideribus: tumulus corpus inane tener.